

DE AEQVATIONIBVS DV- odecim domorum coeli.



IOANNES à Monte regio, non tantum Franciæ orienta-
lis lux, sed & totius Germaniæ nostræ decus & ornamen-
tum, multa ad communem Mathematicarum disciplina-
rum utilia inuenit, & in lucem magna cum laude edidit:
inter quæ opus est uerè elegans, Tabularum directionum
perfectè elaboratum, in quo opere problemate 14 ostens-
dit, se nihil præterea tentasse, quàm ut tabulas pro æquationibus domo-
rum duodecim coeli, in omni habitatione, cuius latitudo maxima 60 gra-
dus non excederet, huiusmodi rerum studiosis palam faceret, etiam si id
multo copiosius præstare, si uoluisset, potuerit. Quia uero honestorum
studiorum nunquam non comes esse solet inuidia, inuenit & ipse doctissi-
mus uir, post fata sua, qui inuiderent surgentem Germaniæ nostræ glori-
am, ac hominis in utraq; lingua eruditissimi laudem, plus æquo, obscu-
rare conentur. Quod equidem minime ferendum nobis censuerim paci-
enter. Lucas Gauricus Neapolitanus, homo alioqui doctus, Regiomō-
tanum nostrum, loco quodam de æquationibus domorum coeli, cum
Ephemerides Ioannis Stofleri Sueui, Venetijs edere curasset, amariuscu-
lè quidem, & præter meritū uiri doctissimi, perstrinxit, traduxitq; in hūc
modum. Nos in tabulis nostris directorijs, Deo auspice, prope diem p-
mulgabimus plerasq; tabulas domorū in plerisq; finitoribus ad gradus
& minuta supputatas, in quibus præterea locis idem Ioannes Regius, licet
celeberrimus, dormitauerit: nam quandoq; bonus dormitat Home-
rus, ibi enunciare non dubitabimus, ne in posterum studiosi, rerum
coelestium perscrutatores cum ipso quoq; aberrant. Hæc ille. Quasi uerò
clarissime Gaurice Regiomōtanus noster ueternum, ut aiunt, passus, aut
dormierit, aut dormitauerit cum hæc ita scriberet? An non fatetur ipse in-
genue, se nolle hæc tabulas ultra 60 gradus altitudinis poli extendere,
id quod paulo ante quoq; demonstrauius? Porro huius æquationis
cum fundamentum, tum demonstrationem hic oculis conspiciendum
subiecimus.

V

Pro